



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Oblatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

consequendam; idcirco sententia opposita jure merito damnatur ab Alexandro VIII. cum propositionibus 4. & 5.

428. **Q**uæritur. An Deus cuilibet in hac vita post quamcumque peccatorum multitudinem conferat auxilia sufficientia ad resurgendum, an verò aliquos ita despiciat, ac obduret, ut non possint amplius respicere?

Resp. communissima sententia docet cum Angelico, neminem à Deo post quamcumque multitudinem, aut gravitatem peccatorum ita desereri, ut non possit physicè, si velit, respicere, esto sæpe non possit moraliter; idque videntur innumera scripturæ loca insinuare, nec non Concilia, & Patres; hoc etiam divinæ Bonitati, ac misericordiæ proculdubio est magis consonum, atque adeo ita dicendum; quæ verò ex scripturis, & SS. PP. in oppositum posunt, adduci, intelligenda sunt, quod Deus in pœnam peccatorum nonnullis sæpe deneget auxilium efficax, non verò sufficiens, & quod sæpè ob depravatos mores non possint, illi moraliter, non verò quod non possint physicè respicere, & ad bonam frugem redire.

O B L A T I O.

429. **Q**uæritur. An oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccatis, sufficienter testentur, quod indiguerit purificatione?

Resp. Tanquam hæretica expressè damnatur ab Alexandro VIII. propositio 21.

asse-

asserens, B. V. Mariam indignasse purincatione, nam hoc est negare ipsius Virginitatem, & dicere, cum impuritate, immunditia, & fractione claustris Virginalis peperisse Christum Dominum, sicut cæteræ mulieres proprios filios pariunt; cum lex illa *Levit. 12.* Virginem Mariam non comprehendebat, nam ibi textus loquitur de muliere, quæ suscepto semine pepererit masculum, Maria autem nec semine viri concepit, nec viri opera genuit, ut fides docet per illud Symboli: *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: ergo V. Maria non eguit purificatione, neque ob maculam ullam realem, neque ob maculam legalem, neque ob præsumptionem maculæ, sed purificationis legem implevit ad præbendum aliis exemplum obedientiæ, & ad scandalum vitandum, quin legi minime teneretur, quia sine ulla sorde filium peperit sanctissimè, & purissimè, & in cuius partu nihil erat purgandum, nihil impurum, cum Proles sit fons puritatis, & ipsa mundissima.

OCCASIO PROXIMA.

430. **Q**Uæritur . An Confessario obligandus sit ad eiciendam concubinam, si hæc nimis utilis sit ad oblectamentum concubinari, vulgò *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur?

Resp. Omnino obligandum esse, ut manifestè patet ex propof. 41. inter damnatas ab Alexandro VII. ratio est, quia occa-

K

sio